Gregorius Magnus: Homiliae in Ezechielem; Epistulae
Mainz, 2. Viertel bis 2. Hälfte 11. Jh. Seite 97r



animarum luget. Repente superveniunt, qui de quibusdam suis pro
speritatibus laetantur. Quorum si laetitiae sacerdos non congaudeat, minus
amare creditur filios in quorum gaudio non exultat. Praecipue cum Pau
lus dicat: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Nichil ergo tam Paul.
onerosum ordini sacerdotii video, quam rigorem mentis competenter
flectere, et cum personis supervenientibus animum mutare. Et tamen hoc est
valde necessarium. Nam quando ex praedicatione eius ad boni operis gratiam
peccator reducitur, si ipse qui praedicat videtur ingratus. Unde per hunc
quoque eundem prophetam in extrema parte dicitur, ut cum sacerdotes intrin Ezech.
secus ministrant, vestibus laneis non utantur. De quibus subditur: Cumque
egrederent atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis in quibus
ministraverant, et reponent ea in gazophilacio sanctuarii. Grossiora
quippe vestimenta sunt lanea. Sed cum sacerdos ad sanctum ministerium acce
dit, cum intus per compunctionem ingreditur, subtiliori intellectu necesse est
quasi lineo vestimento induatur. Sed cum ad populum foras egreditur, oportet
ut vestimenta in quibus intrinsecus ministraverat reponat, atque populo
aliis vestibus indutus appareat. Quia si in compunctionis suae rigore
se teneat, si in eo quem orationis tempore habuit merore perduret,
exteriorum verba suscipere non admittit, et quid grex de necessariis fa
ciat, si audire atque perpendere, et hoc quod praesens tempus exigit pastor
recusat. Grossiora ergo vestimenta sacerdos exiens ante populum in
duat, ut mentis suae habitum pro utilitate filiorum etiam ad terrena toleranda
componat. Pensate ergo fratres karissimi, quantus speculatori labor sit, et ad sub
limia cor tendere, et hoc repente ad ima revocare, et in sublimita
te cognitionis internae extenuare animum, et propter exteriores causas
proximorum ut ita dicam subito in cogitatione crassescere [+ gro]. Non ergo mihi

© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0197